

Privilegium Pauli episcopi Plocensis donationis villa Conyewo ac decima in Trzebrna venerabili capitulo ecclesie Plocensis

In nomine Domini amen. Ad rei memoriam sempiternam. Quoniam humanorum actuum labilis perit memoria, nisi scriptura ministerio et testium annotatione certiterint perpetuata; hinc est, quod nos Paulus Dei et apostolicæ sedis gratia episcopus Plocensis, significamus tenore presentium quibus expedit universis presentibus et futuris, quomodo zelo devotionis, quem ad nostram Plocensem genimus ecclesiam excitati, volentes in ea cultum Divinum nostris temporibus adaugere, mensamque capituli eiusdem ecclesie nostre ad conditionem uberiores reducere cupientes, quatenus venerabiles fratres nostri prelati et canonici ipsius ecclesie ad residendum circa dictam ecclesiam, et ad servandum Deo in eadem eo frequentiores reddantur, quo magis per nos temporalibus subsidiis certiterint stabiliti; villam nostram episcopalem Conyewo vulgariter nuncupatam in districtu Plocensi consistentem, cum pradio, agris, pratis, pasuis, censibus, fructibus, redditibus, proventibus, utilitatibus, et decima manipulari, cuiuslibet grani et seminis, ex agriculturis omnium et singulorum agricultorum seu incolarum villa predicta proveniente, ac universis iuribus et pleno dominio villa predicta, nihil nobis et nostris successoribus iuris et proprietatis in eadem villa reservando, nec non decimam manipularem cuiuslibet grani et seminis in villa Trzebrna in dicto Plocensi districtu consistentem, de agriculturis omnium et singulorum kmethorum seu incolarum proventientem, ad mensam nostram episcopalem spectantem et pertinentem, predictis fratribus nostris capitulo Plocensi, pro ipsorum mensa communi, donatione perpetua dedimus, donavimus et contulimus,

mus,

✠

mus, damusque, donamus et conferimus in Dei nomine per  
presentes, per prefatos fratres nostros et capitulum ecclesie  
Ploansis predictae, tenendas, habendas, levandas, percipiendas,  
ac pacificè et quiete temporibus perpetuis possidendas, decer-  
nentes, quòd fructus, census, redditus et proventus ex dicta  
villa et decimis predictis, per ipsos recolligendi, more aliorum  
fructuum et proventuum capitularium dictae ecclesie, pro  
distributionibus quotidianis inter prelatos et canonicos eius-  
dem ecclesie circa eam residentes, et in ipsa Divinis officiis in-  
terfentes, perpetuò dividantur. Et ut de huiusmodi gratio-  
sa donatione fructum salubrem favente Domino reportemus,  
volumus et tenore presentium disponimus et ordinamus,  
quòd ipsi fratres nostri prelati et canonici ecclesie nostre pre-  
dictae, in vita nostra, nostri memoriam faciant in eorum ora-  
tionibus salutarem, nobisque verò, cum Deo placuerit, vita  
functis, in die depositionis nostrae anniversarium facere,  
vigilias quoque, novem lectionum et missam defunctorum,  
pro redemptione anime nostrae, annis singulis perpetuis  
temporibus decantare teneantur, in quo ipsorum consuetudines  
oneramus. In quorum omnium et singulorum fidem et te-  
stimonium praemissorum, presentes nostras literas scribi,  
et per notarium infrascriptum subscribi et publicari, nos-  
trique sigilli maioris appensione mandavimus commu-  
niri. Actum et Datum in curia nostra sita in civitate Plo-  
ansi, in capitulo generali secundum consuetudinem ec-  
clesie nostre feria quinta post festum purificationis bea-  
tae Mariae, quae fuit quinta dies mensis Februarij celebrato.  
Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo.  
Inditione tredecima, pontificatus sanctissimi in Christo  
patris et domini nostri domini Nicolai Divina providentia  
papa quinti anno tertio, hora tertiaram vel quasi. Presen-  
tibus ibidem venerabilibus et honorabilibus ac nobilibus fra-  
tribus nostris, Joanne Bjenjowski canonico Polthoviensi,

Paulo

~

Paulo plebano in Caschawo Gnezniensis diocesis, Nyemerza  
de Nyeborowo et Nicolao Zelaszo de Boguslawyce clericis et  
laicis nostris diocesis Ploensis testibus ad praemissa ~

Subscriptio notarij ~

Et ego Nicolaus Thoma de Drobnyno clericus Ploensis  
diocesis publicus imperiali auctoritate notarius, quia praedi-  
ctis dationi et donationi, omnibusque aliis praemissis, dum  
sic ut praemittitur agerentur et fierent, unà cum praescriptis  
testibus praesens interfui, praemissaque sic fieri vidi et audivi,  
ideo praesens publicum instrumentum, huiusmodi datione  
et donationum in se continentem, manu attentius scriptum,  
eiusdem conficiens extraxi, publicavi, et in hanc formam pu-  
blicam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis,  
unà cum appensione sigilli praefati reverendi in Christo pa-  
tris et domini domini Pauli Dei gratia episcopi Ploen-  
sis, et de mandato eius speciali consignavi, rogatus et requisitus  
in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum ~

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*